

vulgo exponunt *de voluntate dirigentis*, sed de *impetu* potius, navi a gubernatore impresso, accipiendum est; Consentit BENGELIVS, qui *hypallagen* statuit in his verbis, h. e. eam figuram grammaticam, qua voces ita transponuntur, ut uni tribuatur, quod tribuendum fuisset alteri, indeque hunc verborum sensum facit: quocumque vult regens seu gubernator, penes quem est *impetus*, seu, quocumque illi *impetum* dare voluerit regens.

§. VII.

v. 5.

Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστὶ, καὶ μεγα-
λαυχεῖ. Ἰδὲ, ὀλίγον πῦρ ἠλίκην ὕλην ἀνάπτει;

Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα) sæpe τὸ οὕτω apodosin facit, etiamsi in protasi nullum præcedat καθως, unde nec GROTIUS τὸ καὶ init. v. 4. debebat exponere per sicut; conf. C. I, II. ubi in protasi pariter deficit τὸ καθως: quemadmodum contra in apodosi quandoque deficit τὸ οὕτω vid. GLASSII Phil. S. p. 1022. Μικρον μελος ἐστι,) pusillum membrum est in humano

E

cor-

corpore, æque ac gubernaculum *exigua* pars navis
 v. 4. και μεγαλαυχει.) 1.) και hic valet, *Et tamen*,
 ut v. g. Matth. VI, 26. C. X, 29. Joh. IX, 30. &c.
 2.) verbum μεγαλαυχειω (quod est ἀπαξ λεγόμενον
 N. T.) a LXX. tamen adhibitum Ezech. XVI, 50. &
 Soph. C. III, 11. pro ebræo נגנ, *efferre se*, & Pf.
 X, 18. (ó Pf. IX, 39.) pro גר, *violenter se gessit*,
 compositum est ex μεγαλα, *magna*, & αυχειω, *glorior*,
 αυχειω vero descendit ab αυχην, *cervix*, adeoque vi
 etymi proprie significat *cervicem attollere, alte ge-*
stare, ut equi feroces solent, vel etiam homines su-
 perbi. Hinc *vetus Itala* vertit: *magna gloriatur*,
Hieronymiana paulo obscurius, *magna exaltat*, *Beza*,
magnifice se effert, ER. SCHMIDIUS, *magna jactat*,
 BENGELIUS, *magnopere se jactat*; atque hoc sensu
 etiam ISOCRATES aliique *Græci* hoc verbo utuntur.
 Pf. XII, 4. idem sensus exprimitur per מלל רברב ונלול,
 γλωσσαν μεγαλορρημονα & Dan. VII, 20. per מלל רברב,
 λαλεν μεγαλα. Videtur itaque hoc ver-
bum nonnisi in malam partem accipiendum esse, ut
notet illud ipsum vitium linguæ, propter quod fre-
no opus habet, sc. petulantiam ejus, qui etiam sen-
sus

sus optime quadrat in seqq. ubi lingua depingitur
ut malum nocentissimum; Quia tamen τὸ οὔτω init.
 versus apodosin facit ad *præcedentia*, ubi Similia a *freno*
 & *gubernaculo* ducta docent, quanta sit linguæ po-
 testas in dirigendo reliquo corpore, malunt alii
 τὸ μεγαλαυχεῖν h. l. accipere, vel in *bonam* partem
 tantum, ut PISCATOR & ESTIVS, qui vertunt,
res magnas efficit, sc. in regundo toto corpore, vel
 in sensu *medio*, ut PARÆVS, BROCHMANDVS,
 & CALOVIVS, qui eapropter laudat *versionem*
 LUTHERI: *und richtet grosse Dinge an*, scil. *im guten*
und im bösen; Sensus adeoque hic foret: quemadmo-
 dum frena ori injecta faciunt, ut equi pareant toto
 corpore, & gubernacula navium, ut ferantur, quo-
 cumque rector voluerit, ita etiam lingua totum cor-
 pus in potestate sua habet, ad bene vel male loquen-
 dum, ac porro sermone bono vel malo bona vel ma-
 la efficiendum, eoque nomine cervicem quasi erigit,
 caputque tollit, & magna præstat, etsi pusillum sit
 membrum; Contineret h. m. *prius* hemistichion v. 5.
apodosin ad præcedd. ubi Apostolus de utilitate linguæ
 frenatæ loquitur, & simul *inserviret transitioni* ad

seqq. ubi de multiplici noxa linguæ effrenatæ fermo
 est; Sit ita, insolentior paullo sit hicce verbi *μεγαλαυχειν*
 significatus, quo non modo notat, *magna jactare ver-*
bis, sed etiam re ipsa *magna efficere*, & quidem magna
 tam bona quam mala, contextus tamen omnino
 hunc sensum requirere videtur; hinc BENSONIVS,
 etiam *doctiss.* *Annotatore* ejus haud refragante, recte
 scribit: verbum quidem ipsum significat, *jactantius*
gloriar, quo vero aptius duplici respondeat simili
 (in præc.) hic ei sensus tribuendus: linguam, quam
 vis exiguam, *magna tamen perficere* posse, ut frenum
 equos circumagat, naves gubernaculum; *Quantas res*
agat lingua sive bonas, sive malas, disce ex Prov. X,
 19, 20. C. XII, 18. C. XIV, 3. C. XV, 2. 7. C. XVIII,
 21. Coh. C. X, 12. 13. Atque in hac interpretatione
 & nobis adquiescere liceat; In omnibus enim linguis,
 & *græca* præsertim, usu contingit, ut voces a signifi-
 catione grammatica deflectant in aliam, ut e. g. *παρ-*
ρησια non modo libertatem & confidentiam in *loquen-*
do, sed etiam in *agendo* notare solet.